

# Catonis disticha , siue Carmen de moribus.

Decij Laberij, P. Syri, & aliorum veterum  
sententiae, Iambicis versibus  
singulis comprehensa.

Et alia, quæ sequens pagina indicat.

Omnia ex veteribus libris emendatoria.



L V T E T I A E,  
Ex officina Roberti Stephani.  
M. D. LXXVII.

In hoc libello hæc continentur.

Lex à Deo per Mosem tradita, ex interpretatione Sulpicij  
Seueri lib. II. historiæ sacræ. fol. 2. v.

Catonis libri, qui inscriptus fuit Carmen de moribus, fragmentum, ex A. Gellio lib. XII. Noct. cap. II. fol. 4 — 11

Decij Laberij, P. Syri, & aliorum veterum auctorum sententiae, Iambicis versibus singulis comprehensa, ordine alphabetico eo quo in veteribus libris extant, in quibus Senecæ Philosophi sententiae inscribuntur. fol. 12-19.

*Luciliij de virtute, ex Lactantio lib. VI. Inst. cap. V. fol. 19. N<sup>o</sup>.*

Ausonii septem sapientum sententiae, & de viro bono A-  
croasis. fol. 20.—22.

Epicetica. fol. 22.



ANTONIO ET VIDO,  
ANT. OISELII IC. FF.

**A**EC quæ plures immerito negligūt,  
ego tanti facio ut vix de manibus  
ponam, volui etiā nitidiora extare  
quam hactenus edita sunt: nec in eam rem  
piguit bonas horas impēdere, vel tenerioris  
ætatis gratia, quam ab ipsis cunabulis pu-  
rioribus cibis educivi orū maxime interest.  
Quid præstiterim non omnes fortasse in-  
telligent, usus ipse fructusque in posterum  
arguet. Qua bona spe & ex Græcis eiusdem  
generis Enchiridion edere in animo est, ut  
hac etiam in parte commororientibus bonis  
literis & moribus, quantum in nobis est, o-  
pem feramus. Quidquid id est, tibi Antoni,  
tibi Vide, optimi & amicissimi viri filiolis in  
primis impensum cupio, quo præter dome-  
sticum paternæ virtutis exemplum & hic  
studiis vestris stimulus accedat. feliciter.  
Lutet. Parisior. Kal. Ian. M. D. LXXVII.

A.ij.



Lex à Deo per Mosem tradita, ex interpretatione Sulpicij Seueri lib. I.  
Hist. sacræ.

Exod. xx.

*Non erunt tibi Dij alieni præter me.*

*Non facies tibi idolum.*

*Non sumes nomen Dei tui in vanum.*

*Sabbato nullum opus facies.*

*Honorifica Patrem tuū & Matrē tuam.*

*Non occides.*

*Non mœchaberis.*

*Non furtum facies.*

*Non falsum testimonium dices aduersus proximum tuum.*

*Non concupisces quidquam proximi tui.*

3

Aliæ Leges communes.

Exod. xxi. i.

- Viduam & orphanum non premes.*  
*Pauperem debitorem non perurgebis.*  
*Usuram nec posces.*  
*Vestimentum pauperis pro pignore non ac-*  
*Principem populi non increpabis. (cipies.*  
*Coitiones in falsum testimonium aut in*  
*quamcunque malitiam non facies.*  
*Inimici pecus errans non præteribis, sed*  
*reduces.*  
*Si animal inimici oneri succubuisse inue-*  
*neris, eriges.*  
*Innocentem & iustum non occides.*  
*Impium non iustificabis.*  
*Munera ad iudicium non accipies.*  
*Aduenam benignè habebis.*

A.ij.

*Ex libro Catonis qui inscriptus fuit Carmen de moribus,  
haec ab A. Gellio referuntur lib. XII. cap. II.*

Auaritiam omnia vitia habere putabant: cupidus,  
vitiosus, in ritusque habebatur: sumptuosus, ele-  
gans. is laudabatur.

Item, Vestiri in foro honeste mos erat: domi quod  
satis erat. Equos carius quam coquos emebant.  
Poeticæ artis honos non erat. Si qui in ea re stu-  
debat, aut sese ad conuiuia adplicabat, crassator  
vocabatur.

Item, Vita humana prope uti ferrū est. Si exerceas,  
conteritur: si non exerceas, tamen rubigo interfici-  
cit. Item homines se exercendo videmus conteri:  
si nihil exerceas, inertia atque torpedo plus de-  
trimenti facit quam exercitio.

*Ex Isidor. 5. Etym.*

*Marcij vatis qui primus apud Romanos præcepta scripsit,  
hoc primum fuit:*

*Postremus dicas, primus taceas.*

# CATONIS DISTICHA.<sup>4</sup>

V V M animaduerterem quamplurimos  
homines errare grauiter in via morum,  
succurrendum & consulendum opinio-  
ni eorum fore existimauit, maxime ut  
gloriosè viuerent, & honore contingeret. Nunc te,  
fili charissime, docebo, quo pacto morem animi tui  
componas. Igitur mea præcepta ita legito, ut intel-  
ligas: Legere enim & non intelligere, nec legere est.

Itaque, Deo supplica. Libros lege.

Parentes ama. Quæ legeris memento.

Cognatos cole. Familiam cura.

Magistrum metue. Blandus esto.

Datum serua. Irasci ab re noli.

Foro para. Neminem irriseris.

Cum bonis ambula. Mutuum dato.

Antequam voceris,  
ad consilium ne ac-  
cesseris. Cui des videto.

Mundus esto. In iudicium adesto.

Saluta libenter. Ad prætorium stato.

Maiori cede. Coniuare raro.

Minori parce. Quod satis est dormi.

Rem tuam custodi. Iusurandum serua.

Verecundiam serua. Vino tempera.

Diligentiam adhibe. Pugna pro patria.

Nil temere credideris.

Tute consule.

A.iiiij.

C A T O N I S

<i>Meretricem fuge.</i>	<i>Aleas fuge.</i>
<i>Literas disce.</i>	<i>Nihil ex arbitrio vi- rium feceris.</i>
<i>Nihil mentire.</i>	<i>Minorem te ne con- tempseris.</i>
<i>Bonis benefacito.</i>	<i>Aliena concupiscere noli.</i>
<i>Maledicus ne esto.</i>	
<i>Existimationē retine.</i>	<i>Coniugem ama.</i>
<i>Æquum indica.</i>	<i>Liberos erudi.</i>
<i>Paretes patientia vince.</i>	<i>Patere legem quam ip- se tuleris.</i>
<i>Beneficij accepti me- mor esto.</i>	<i>Pauca in conuiuio ló- quere.</i>
<i>Miserum noli irridere.</i>	<i>Illud stude agere quod iustum est.</i>
<i>Consultus esto.</i>	
<i>Vtere virtute.</i>	<i>Libet fert amorem.</i>
<i>Iracundiam tempera, vel rege.</i>	
<i>Trocho lude.</i>	

**S**I Deus est animus, nobis ut carmina dicunt:  
Hic tibi præcipue sit puramente colendus.

- Plus vigila semper, ne somno deditus esto.  
Nam diuturna quies vitiiis alimenta ministrat.  
Virtutem primam esse puta compescere linguam.  
Proximus ille Deo est qui scit ratione tacere.  
Sperne repugnando tibi tu contrarius esse.  
Conueniet nulli qui secum dissidet ipse.*

Si vitam inspicias hominum, si denique mores,  
Quum culpas alios, nemo sine crimine viuit.

Quæ nocitura tenes, quamuis sint cara, relinque.  
Vtilitas opibus præponi tempore debet.

Constans & lenis, vt res expostulat, esto.

Temporibus mores sapiens sine crimine mutat.

Nil temere vxori de seruis crede querenti:

Sæpe etenim mulier, quem coniunx diligit, odit.

Quumque mones aliquem, nec se velit ipse moneri:  
Si tibi sit carus, noli desistere cæptis.

Contra verbosos noli contendere verbis.

Sermo datur cunctis, animi sapientia paucis.

Dilige sic alios vt sis tibi carus amicus.

Sic bonus esto bonus ne te mala damna sequantur.

Rumores fuge, ne incipias nouus auctor haberi.

Nam nulli tacuisse nocet: nocet esse locutum.

Spem tibi promisi certam promittere noli.

Rara fides ideo est, quia multi multa loquuntur.

Quum te aliquis laudat, index tuus esse memento:  
Plus aliis de te, quam tu tibi credere noli.

Officium alterius multis narrare memento:

Atque aliis quum tu beneficeris ipse, sileto.

C A T O N I S

Multorum quum facta senex & dicta recenses,  
Fac tibi succurrant iuuenis quæ feceris ipse.

Ne cures si quis tacito sermone loquatur.  
Conscius ipse sibi de se putat omnia dici.

Quum fueris felix quæ sunt aduersa cauetu.  
Non eodem cursu respondent vltima primis.

Quum dubia & fragilis sit nobis vita tributa.  
In morte alterius spem tu tibi ponere noli.

Exiguum munus quum dat tibi pauper amicus,  
Accipito placide, plenè & laudare memento.

Infantem nudum quum te natura creârit,  
Paupertatis onus patienter ferre memento.

Ne timeas illam, quæ vita est vltima finis.  
Qui mortem metuit, quod vivit, perdit id ipsum.

Si tibi pro meritis nemo respondet amicus,  
Incusare Deum noli : sed te ipse coérce.

Ne tibi quid desit, quæsitis utere parcé.  
Vtque quod est serues, semper tibi deesse putato.

Quod præstare potes ne bis promiscris ulli:  
Ne sis ventosus, dum vis bonus ipse videri.

Qui simulat verbis, nec corde est fidus amicus:  
Tu quoque fac simile . sic ars deluditur arte.

*Noli homines blando nimium sermone probare.  
Fistula dulce canit volucrem dum decipit auceps.*

*Quum tibi sint nati, nec opes : tunc artibus illos  
Instrue, quo possint inopem defendere vitam.*

*Quod vile est, carum : quod carum est, vile putato.  
Sic tibi nec cupidus, nec auarus nosceris ulli.*

*Quæ culpare soles, ea tu ne feceris ipse.*

*Turpe est doctori quum culpa redarguit ipsum.*

*Quod iustum est petito, vel quod videatur honestum.  
Nam stultum est petere id quod possit iure negari.*

*Ignotum tibi tu noli præponere notis.*

*Cognita iudicio constant, incognita casu.*

*Quum dubia incertis versetur vita periclis,  
Pro lucro tibi pone diem quicunque laboras.*

*Vincere quum possis, interdum cede sodali.*

*Obsequio quoniam dulces retinentur amici.*

*Nec dubita, quum magna petas, impendere parua:  
His etenim rebus coniungit gratia caros.*

*Litem inferre caue cum quo tibi gratia iuncta est.*

*Ira odium generat : concordia nutrit amorem.*

*Seruorum culpis quum te dolor urget in iras,  
Ipse tibi moderare, tuis ut parcere possis.*

C A T O N I S

Quem superare potes, interdum vince ferendo.  
Maxima enim morum semper patientia virtus.

Conserua potius quæ sunt iam parta labore.  
Quum labor in damno est, crescit mortalis egestas.

Dapsilis interdum notis, & carus amicis,  
Quum fueris felix, semper tibi proximus es.

L I B E R   S E C V N D V S.

Telluris si forte velis cognoscere cultus,  
Virgilium legito. quod si mage nosse laboras  
Herbarum vires, Macer tibi carmine dicet,  
Corporis ut cunctos possis depellere morbos.  
Si Romana cupis & ciuica noscere bella,  
Lucanum queras qui Martis prælia dixit.  
Siquis amare velis, vel discere amare legendu-  
Nasonem petito. si autem cura tibi haec est  
Ut sapiens viuas, audi quæ discere possis,  
Per quæ semotum vitiis deducitur æuum.  
Ergo ades: & quæ sit sapientia, disce legendo.

Si potes, ignotis etiam prodeesse memento.  
Vtilius regno est meritis adquirere amicos.

Mitte arcana Dei cælumque inquirere quid sit:  
Quum sis mortalis, quæ sunt mortalia cura.

Linque metum leti: nam stultus est tempore in omni  
Dum mortem metuas, amittere gaudia vitæ.

*Iratus de re incerta contendere noli.*

*Impedit ira animum ne possit cernere verum.*

*Fac sumptum properè quum res desiderat ipsa.*

*Dādū etenim est aliquid quū tēpus postulat, aut res.*

*Quod nimium est fugito, paruo gaudere memento.*

*Tuta mage est puppis modico quæ flumine fertur.*

*Quod pudeat, socios prudens celare memento:*

*Ne plures culpent id, quod tibi displicet vni.*

*Nolo putes prauos homines peccata lucrari.*

*Temporibus peccata latent, sed tempore parent.*

*Corporis exigui noli contemnere vires.*

*Consilio pollet cui vim natura negavit.*

*Cui scieris non esse parem te, tempore cede.*

*Victorem à victo superari sepe videmus.*

*Aduersus notum noli contendere verbis.*

*Lis minimis verbis interdum maxima crescit.*

*Quid Deus intendat, noli perquirere sorte.*

*Quid statuat de te, sine te deliberat ipse.*

*Inuidiam nimio cultu vitare memento:*

*Quæ si nō lādit, tamen hanc sufferre molestum est.*

*Esto animo forti quum sis damnatus inique.*

*Nemo diu gaudet, qui iudice vincit iniquo.*

C A T O N I S

Litis præteritæ noli maledicta referre.

Post inimicitias iram meminisse, malorum est.

Nec te collaudes, nec te culpaueris ipse.

Hoc faciunt stulti, quos gloria vexat inanis.

Vtere quæsitis parcé. quum sumptus abundant,  
Labitur exiguo quod partum est tempore longo.

Insipiens esto quum tempus postulat aut res.

Stultitiam simulare loco, prudentia summa est.

Luxuriam fugito : simul & vitare memento.

Crimen auaritiae : nam sunt contraria famæ.

Noli tu quædam referenti credere semper.

Exigua ijs tribuenda fides qui multa loquuntur.

Quæ potus peccas, ignoscere tu tibi noli.

Nam crimen nullum vini est, sed culpa bibentis.

Consilium arcana tacito committe sodali.

Corporis auxilium medico committe fideli.

Noli successus indignos ferre molesté.

Indulget fortuna malis ut lædere possit.

Prospice qui veniunt hos casus esse ferendos.

Nam leuius lædit quicquid præuidimus antē.

Rebus in aduersis animum submittere noli:

Spem retine . spes una hominē nec morte relinquit.

*Rem tibi quam nosces aptam dimittere noli.*

*Fronte capillata, post est occasio calua.*

(to.)

*Quod sequitur, specta: quodq; imminet ante, vide-  
Illum imitare Deum partem qui spectat utrāque.*

*Fortius ut valeas, interdum parcior esto.*

*Pauca voluptati debentur, plura saluti.*

*Iudicium populi nunquam contempseris unus:  
Ne nulli placeas dum vis contemnere multos.*

*Sit tibi præcipue, quod primum est, cura salutis.  
Tempora ne culpes, quum sis tibi causa doloris.*

*Somnia ne cures. nam mens humana quod optat,  
Dum vigilat, sperat, per somnum cernit id ipsum.*

## LIBER TERTIVS.

**H**oc quicunque voles carmē cognoscere lector,  
*Quum præcepta ferat quæ sūt gratissima vitæ,*  
*Instrue præceptis animum, nec discere cesses.*  
*Nam sine doctrina, vita est quasi mortis imago.*  
*Commoda multa feres. si autem spreueris illud,*  
*Non me scriptorem, sed te neglexeris ipse.*

*Fortunæ donis semper parere memento.*

*Non opibus bona fama datur, sed moribus ipsis.*

*Quum recte viuas, ne cures verba malorum.*

*Arbitrij non est nostri quid quisque loquatur.*

*Productus testis, saluo tamen antè pudore,  
Quantumcunque potes, celato crimen amici.*

*Sermones blandos blæſosque cauere memento.  
Simplicitas, veri fama est : fraus, ficta loquendi.*

*Segnitiem fugito quæ vitæ ignavia fertur.  
Nam quum animus laguet, cōsumit inertia corpus.*

*Interpone tuis interdum gaudia curis:  
Vt possis animo quemuis sufferre laborem.*

*Alterius factum aut dictu ne carperis vñquam:  
Exemplo simili ne te derideat alter.*

*Quod tibi sors dederit tabulis suprema notato,  
Augendo serua: ne sis quem fama loquatur.*

*Quum tibi dinitiæ superant in fine senectæ,  
Munificus facito viuas, non parcus amicis.*

*Vtile consilium dominus ne despice serui.  
Nullius sensum, si prodest, tempseris vñquam.*

*Rebus & in censu si non est quod fuit antè,  
Fac viuas contentus eo quod tempora præbent.*

*Vxorem fuge ne ducas sub nomine dotis:  
Nec retinere velis si cæperit esse molesta.*

*Multorum disce exemplo quæ facta sequaris,  
Quæ fugias. vita est nobis aliena magistra.*

Quod potes, id tentato : operis ne pondere pressus  
Succumbat labor, & frustrà tentata relinquas.

Quod nosti haud rectè factum, nolito silere :  
 Ne videare malos imitari velle tacendo.

Iudicis auxilium sub iniqua lege rogato.  
Ipsæ etiam leges cupiunt ut iure regantur.

Quod meritò pateris, patienter perfer id ipsum :  
Quumque reus tibi sis, ipsum te iudice damna.

Multa legas facito : perlectis, perlege multa.  
Nam miranda canunt, sed non credenda, poëtæ.

Inter conuiuas fac sis sermone modestus :  
Ne dicare loquax, dum vis urbanus haberi.

Coniugis iratæ noli tu verba timere.

Nam struit insidias lachrymis, quū fœmina plorat.

Vtere quæ sitis, sed ne videaris abuti.

Qui sua consumunt, quum deest, aliena sequentur.

Factibi proponas mortem non esse timendam :

Quæ bona si non est, finis tamen illa malorum est.

Vxoris linguam, si frugi est, ferre memento.

Namque malum est non velle pati, nec posse tacere.

Aequa diligito caros pietate parentes :

Nec matrem offendas, dum vis bonus esse parenti.

B.j.

## CATONIS

## LIBER QVARTVS.

**S**ecuram quicunque cupis perducere vitam,  
*Nec* virtus hærere animū quæ moribus obſunt,  
*Hæc* præcepta tibi ſemper relegenda memento.  
*Inuenies* aliquid, quo te nitare magiftro.

*Deſpice* diuitias, ſi viſ animo eſſe beatuſ:  
*Quas* qui ſuſpiciunt, mendicant ſemper auari.

*Commoda* naturæ nullo tibi tempore deerunt,  
*Si* fueris contentuſ eo, quod poſtulat uſus.

*Quum* ſis incautuſ, nec rem ratione gubernes,  
*Noli* fortunam, quæ non eſt, dicere cæcam.

*Dilige* donarium, ſed parcé: delige formam,  
*Quam* nemo ſanctuſ, nec honestuſ captat ab ære.

*Quum* fueris locuples, corpus curare memento.  
*A*Eger diues habet nummos, ſe non habet iſum.

*Verbera* quum tuleris diſcens aliquando magiſtri,  
*Fer* patris ingenium quum verbiſ exit in iram.

*Res* age quæ proſunt: rurſus vitare memento  
*In* queis error ineft, nec ſp̄es eſt certa laboris.

*Quod* donare potes gratis, ne vende roganti:  
*Nam* recte feciſſe bonis, in parte lucrorum eſt.

*Quod* tibi ſuſpectuſ eſt, confeſtim diſcute quid ſit.  
*Namque* ſolent, primò quæ ſunt neglecta, nocere.

Quum te detineat Veneris damnoſa voluptas,  
Indulgere gulæ noli, quæ ventris amica eſt.

Quum tibi proponas animalia cuncta timere,  
Vnum præcipio tibi plus hominem eſſe timendum.

Quum tibi præualidæ fuerint in corpore vires,  
Fac sapias . ſic tu poteris virfortis haberi.

Auxilium à notis petito , ſi forte laboras.  
Nec quisquam melior medicus quam fidus amicus.

Quum ſis ipſe nocens,moritur cur viētima pro te?  
Stultitia eſt morte alterius ſperare ſalutem.

Quum tibi vel ſocium , vel fidum quæris amicum,  
Non tibi fortuna eſt hominis , ſed vita petenda.

Vtere quæſitis opibus : fuge nomen auari.  
Quo tibi diuitias, ſi ſemper pauper abundas?

Si famam feruare cupis,dum viuis,honestam,  
Fac fugias animo quæ ſunt mala gaudia vitæ.

Quum sapias animo , noli ridere ſenectam.  
Nam quicunque ſenit , puerilis ſenſus in illo eſt.

Disce aliquid. nam quum ſubitò fortuna recessit,  
Ars remanet, vitamque hominis nō defert vñquā.

Perſpicito tecum tacitus, quid quisque loquatur.  
Sermo etenim mores & celat & indicat idem.

*Exerce studium, quanuis perceperis artem.  
Ut cura ingenium, sic & manus adiuuat usum.*

*Multum venturi ne cures tempora fati.*

*Non metuit mortem, qui scit contemnere vitam.*

*Disce, sed à doctis: indoctos ipse doceto.*

*Propaganda etenim rerum doctrina bonarum.*

*Hoc bibe quod possis, si tu vis viuere sanus.*

*Morbi causa mali nimis est quaecumque voluptas.*

*Laudaris quodcumque palam, quodcumque probaris*

*Hoc vide ne rursum leuitatis crimen damnes.*

*Tranquillis rebus, quae sunt aduersa timeto.*

*Rursus in aduersis melius sperare memento.*

*Discere ne cesses. cura sapientia crescit:*

*Rara datur longo prudentia temporis usu.*

*Parce laudato. nam quem tu sepe probaris,*

*Vna dies, qualis fuerit, monstrabit amicus.*

*Ne pudeat, quae nescieris, te velle doceri.*

*Scire aliquid laus est, culpa est nil discere velle.*

*Cum Venere & Baccholis est, sed iuncta voluptas.*

*Quod blandum est, animo complectere, sed fuge lites.*

*Demissō tacitos animo, vitare memento.*

*Quā flumen placidum est, forsitan latet altius unda.*

*Quum tibi displaceat rerum fortuna tuarum,  
Alterius specta quo sis discrimine peior.*

*Quod potes id tenta . nam littus carpere remis  
Tutius est multò, quam velum tendere in altum.*

*Contra hominem iustum prae contendere noli.  
Semper enim Deus iniustas vlciscitur iras.*

*Ereptis opibus noli tu flere querendo:  
Sed gaudem potius tibi quum contigit habere.*

*Est iactura grauis, quæ sunt, amittere damnis:  
Sunt quædam quæ ferre decet patienter, amice.*

*Tempora longa tibi noli promittere vitæ.  
Quocumque ingredere sequitur mors, corporis umbra.*

*Thure Deum placet: vitulum sine crescat aratro:  
Nec credas placare Deum, quum cæde litatur.*

*Cede locum Iesus fortunæ, cede potenti.  
Lædere qui potuit, prodesse aliquando valebit.*

*Quum quid peccaris, castiga te ipse subinde.  
Vulnera dum sanas, dolor est medicina doloris.*

*Damnaris nunquam post longum tempus amicum.  
Mutauit mores: sed pignora prima memento.*

*Gratior officiis, quò sis mage charior, esto:  
Ne nomen subreas quod dicunt officiperdi.*

B.iij.

*Suspectus caue sis, ne sis miser omnibus horis.  
Nam timidis & suspectis aptissima mors est.*

*Quum famulos fueris proprios mercatus in usus,  
Vt seruos dicas, homines tamen esse memento.*

*Quamprimum rapienda tibi est occasio prima,  
Ne rursus queras, quæ iam neglexeris anté.*

*Morte repentina noli gaudere malorum.*

*Felices obeunt quorum sine crimine vita est.*

*Quum tibi sit coniunx, ne res & fama labore,  
Vitandum ducas inimicum nomen amici.*

*Quum tibi contigerit studio cognoscere multa,  
Fac discas multa, & vita nil velle doceri.*

*Miraris verbis nudis me scribere versus?*

*Hos breuitas sensus fecit coniungere binos.*

F I N I S .



D. LABERII, P. SYRI, ET  
ALIORVM VETERVM SEN-  
tentiæ, Iambicis versibus singu-  
lis comprehensæ, ordine  
alphabetico.

**A**lienum est omne quicquid optando euenit.  
*Ab alio exspectes alteri quod feceris.*  
*Animus vereri qui scit, scit tutò ingredi.*  
*Auxilia humilia firma consensus facit.*  
*Animi arbitrio amor sumitur, non ponitur.*  
*Aut amat, aut odit mulier : nil est tertium.*  
*Ad tristem partem strenua est suspicio.*  
*Ames parentem, si æquus est : si alter, feras.*  
*Amici vitia ni feras, facis tua.*  
*Alienum æs homini ingenuo acerba est seruitus.*  
*Absentem lœdit cum ebrio qui litigat.*  
*Amans iratus multa mentitur sibi.*  
*Auarus ipse miseriæ caussa est suæ.*  
*Amans quid cupiat, scit: quid sapiat, non videt.*  
*Amans quod suspicatur, vigilans somniat.*  
*Ad calamitatem quilibet rumor valet.*  
*Amor extorqueri non potest, elabi potest.*  
*Auarum facile capias, ubi non sis idem.*

B.iiij.

D. L A B. E T P. S Y R I

- Amare & sapere vix adeò conceditur.*  
*Ab amante lacrymis redimas iracundiam.*  
*Aperte mala cùm est mulier, tum demum est bona.*  
\* *Aetas cinædum celat, ætas indicat.*  
*Auarus, nisi cùm moritur, nil rectè facit.*  
*Auarus damno potius quam sapiens dolet.*  
*Auaro quid mali optes ni vt viueat diu?*  
*Animo dolenti nil oportet credere.*  
*Aliena nobis, nostra plus aliis placent.*  
*Amare iuueni fructus est, crimen seni.*  
*Anus cùm ludit, morti delicias facit.*  
*Ad pœnitendum properat, citò qui iudicat.*  
*Aleator quantum in arte est, tanto est nequior.*  
*Amor otiosæ caussa sollicitudinis.*  
*Adulter est vxoris amator acrior.*  
*Alterius damnum gaudium haud facias tuum.*  
*Amoris vulnus idem qui sanat, facit.*  
*Auarum inritat non satiat pecunia.*  
*Amicos res opimæ pariunt aduersæ probant.*  
*Audendo virtus crescit, tardando timor.*  
*Arcum intensio frangit, animum remissio.*  
*Amicitia semper prodest, amor & nocet.*  
*Amicum lèdere ne ioco quidem licet.*  
*Amicitia pares aut accipit aut facit.*  
*A morte semper homines tantumdem absimus.*  
*Afferri & illud quod dari potuit, potest.*  
*Ars non ea est quæ ad effectum casu venit.*

*Amicus eo magis deest, quod nil abest.*

*Animus hominis quicquid sibi imperat, obtinet.*

*Amicum perdere est damnorum maximum.*

*Amor miseri cum timore non potest.*

*Angusta capitur tutior in mensa cibus.*

*Aes debitorem leue grauem inimicum facit.*

*Bis est gratum, quod opus est, si vltro offeras.*

*Bonarum rerum consuetudo pessima est.*

*Beneficium qui dare nescit, iniuste petit.*

*Bonum est fugienda aspicere in alieno malo.*

*Beneficium accipere, libertatem vendere est.*

*Bona nemini hora est, vt non alicui sit mala.*

*Bis emori est, alterius arbitrio mori.*

*Beneficia plura accepit, qui scit reddere.*

*Bis peccas cum peccanti obsequium adcommendas.*

*Bonus animus læsus grauius multò irascitur.*

*Bona mors est homini vita quæ extinguit mala.*

*Beneficium dando accepit, qui digno dedit.*

*Blanditia non imperio fit dulcis Venus.*

*Bonus animus numquam erranti obsequiu adcom-*

*Beneficium qui dedisse se dicit, petit. (modat.)*

*Beneficium sepe dare, docere est reddere.*

*Bonitatis verba imitari, maior malitia est.*

*Bona opinio hominum tutior pecunia est.*

*Bonum quidem subprimitur, nequam exstinguitur.*

*Bis vincit qui se vincit in victoria.*

D. L A B. E T P. S Y R I

*Benignus etiam dandi caussam cogitat.  
Bis interimitur qui suis armis perit.  
Bene dormit, qui non sentit quam male dormiat.  
Bonorum crimen est officiosus miser.  
Bona fama in tenebris proprium splendore obtinet.  
Bene cogitata si excidunt, non occidunt.  
Bene perdit nummos, iudici cum dat nocens.  
Bono in paenite anima est pecunia.  
Bonum ad virum citò moritur iracundia.  
Brevis mens ipsa est memoria iracundiae.  
Bona turpitudo est quæ periculum vindicat.  
Bona comparat præsidia misericordia.  
Beneficium dignis vides, omnes obliges.  
Bonis nocet quisquis pepercit malis.  
Bono iustitiae proxima est severitas.*

*Consueta vitia ferimus, non reprehendimus.  
Crudelis in re aduersa est obiurgatio.  
Cui semper dederis ubi negas, rapere imperas.  
Crudelem medicum intemperans æger facit.  
Cuius mortem expetunt ciues, vitam oderant.  
Cum inimico nemo in gratiam tutò redit.  
Cauendi nulla est dimitenda occasio.  
Citius venit periculum cum contemnitur.  
Casta ad virum matrona parendo imperat.  
Citò ignominia fit superbi gloria.  
Consilio melius vincas quam iracundia.*

- Cuius dolori remedium est patientia.  
 Cottidie damnatur, qui semper timet.  
 Cum vitia profund, peccat qui recte facit.  
 Contumeliam non fortis potest, nec ingenuus pati.  
 Comes facundus, in via pro vehiculo est.  
 Citò improborum lata ad perniciem cadunt.  
 Contemni est grauius quam stultiæ percuti.  
 Cottidie est deterior posterior dies.  
 Crimen relinquit vitæ, qui mortem adipet.  
 Calamitas virtutis est occasio.  
 Cupiditati tarda est ipsa celeritas.  
 Coniunctio animi maxima est cognatio.  
 Cui plus licet quam par est, plus vult quam licet.  
 Considera quid dicas, non quid cogites.  
 Cui omnes bene dicunt, possidet populi bona.  
 Ciuilis belli obliuio defensio est.  
 Caret periculo qui etiam tutus cauet.  
 Casus quem saepe transit, aliquando inuenit.

- Discipulus est prioris, posterior dies.  
 Damnare est, obiurgare cum auxilio est opus.  
 Diu apparandum bellum est, ut vincas celer.  
 Dixeris maledictum, cum ingratus hominem dixeris.  
 De inimico ne loquare male, sed cogites.  
 Deliberare utilia, mora est tutissima.  
 Dolor decrescit ubi quo crescat non habet.  
 Didicere flere feminæ in mendacium.

D. L A B. E T P. S Y R I

Discordia fit carior concordia.

Deliberandum est diu quod statuendum est semel.

Difficilem oportet aurem habere ad crimina.

Dum vita grata est, mortis conditio optima est.

Damnum appellandum est cum mala fama lucrum.

Ducis in consilio posita est virtus militum.

Dies quod donat, timeas: citò raptum venit.

Dimissum quod nescitur, non amittitur.

Damnum nisi ex abundantia raro venit.

Demens est quisquis errori præstat fidem.

Despicere oportet quod possis deperdere.

Etiām innocentēs cogit mentiri dolor.

Etiām in peccato recte præstatur fides.

Etiām celeritas, in desiderio mora est.

Ex vitio alterius sapiens emendat suum.

Et deest & superat miseris cogitatio.

Etiām obliuisci quod scis, interdum expedit.

Ex hominum quæstu facta fortuna est dea.

Effugere cupiditatem, regnum est vincere.

Exsuli ubi nusquam domus est, sine sepulchro est.

Etiām qui faciūt, odio habet iniuriam. (mortuus.

Eripere telum non dare irato decet.

Exsiliū patitur, patrie qui se denegat.

Etiām capillus unus habet umbrām suām.

Eheu quam miserum est fieri metuendo senem!

Etiām hosti est equus qui habet in consilio fidem.

Excelsis multò facilius casus nocet.  
 Etiam tyrannus vix precario imperat.  
 Eodem animo beneficium dōbetur quo datur.  
 Est vita misero longa, felici breuis.  
 Eget minus mortal is quo minus cupit.  
 Et miseriarum portus est patientia.  
 Est socia mortis homini vita ingloria.  
 Exeritur opere nequitia, non incipit.  
 Est turba semper argumentum pessimi.  
 Etiam sanato vulnere cicatrix manet.

Fidem qui perdit, quo seruet se in reliquum?  
 Fortuna cùm blanditur, captatum venit.  
 Fortunam citius rapias quam retineas.  
 Formosa facies muta commendatio est.  
 Frustra rogatur qui misereri non potest.  
 \* Fortuna unde aliquid fregit quassum est.  
 Fraus est accipere, quod non possis reddere.  
 Fortuna nimium quem fouet, stultum facit.  
 Faretur facinus is qui iudicium fugit.  
 Felix improbitas optimorum est calamitas.  
 Feras non culpes, quod vitari non potest.  
 Futura pugnant ne se superari sinant.  
 Furor fit læsa saepius patientia.  
 Fidem qui perdit, perdere ultra nil potest.  
 Facilitas animi, ad partem stultitiae rapit.  
 Fides vna anima unde abit, eò numquam reddit.

D. L A B. E T P. S Y R I

Fidem nemo vñquam perdit, nisi qui non habet.  
Fortuna obesse nulli contenta est semel.  
Fulmen est vbi cum potestate habitat iracundia.  
Frustra cū ad senectā vētū est, repetas adulescētiā.  
Falsum maledictum, maliuolum mendacium est.  
\* Feminæ curam gerere, desperare odium est.  
Fer difficilia, vt & facilia perferas.  
Fortuna vitrea est: tum cū splendet, frangitur.  
Feras quod lēdit, vt quod & prodest, feras.  
Facit gratum fortuna quam nemo videt.  
Fortuna nulli plus quam consilium valet.  
Fortuna quo se, eodem & inclinat fauor.  
Factum tacendo crimen facias acrius.  
Ficta citò ad naturam reciderint suam.  
Frugalitas, miseria est rumoris boni.  
Felicitas nutrix est iracundiæ.  
Frequens vindicta paucorum odium reprimit.  
Fortuna ius in hominis mores non habet.  
Fortuna vñsu dat multa, mancipio nihil.  
Fortuna magna, magna domino est seruitus.  
Facilius crescit quam inchoatur dignitas.

Graue præiudicium est quod iudicium non habet.  
Graue iudicium est quod præiudicium non habet.  
Grauißima est probi hominis iracundia.  
Grauis animi pœna est, quem post facti pœnitet.  
Grauis animus dubiam non habet sententiam.

*Graue est malum omne, quod sub adspicere latet.*

*Grauius nocet quodcumque inexpertum accidit.*

*Grauior est inimicus qui latet in pectore.*

*Grauissimum est imperium consuetudinis.*

*Graue crimen, etiam leuiter cum dictum est, nocet.*

*Geminat peccatum quem delicti non pudet.*

*Grauiora quædam sunt remedia periculis.*

*Heu quam difficilis gloriæ custodia est.*

*Homo extra corpus est suum cum irascitur.*

*Heu quam est timendus qui mori tutum putat.*

*Homo qui in homine calamitoso est misericors, minimis sui.*

*Honesta turpitudo est pro bona caussa mori.*

*Habet in aduersis auxilia qui in secundis comodat.*

*Heu quam miserum est ab eo laedi de quo non possis*

*Hominem experiri multa, paupertas iubet. (queri.*

*Heu dolor quam miser est qui in tormento vocem non habet.*

*Heu quam miserum est seruire discere, ubi sis doctus*

*Habet suum venenum blanda oratio. (dominari,*

*Homo totiens moritur, quotiens amittit suos.*

*Homo semper aliud in os fert, aliud cogitat.*

*Honestus rumor alterum est patrimonium.*

*Homo ne sit sine dolore fortunam inuenit.*

*Honestè seruit, qui succumbit tempori.*

*Homo vita commodatus, non donatus est.*

D. L A B. E T P. S Y R I

Heredis fletus, sub persona risus est.

Heredem ferre utilius est quam querere.

Habent locum maledicti crebre nuptiae.

Honesta lex est temporis necessitas.

Inferior reficit, quicquid peccat superius.

Inimicum vlcisci, vitam accipere est alteram.

Inuitum cum retineas, exire incitas.

Ingenuitatem laedis cum indignum roges.

In nullum auarus bonus est, in se pessimus.

Inopibeneficium bis dat, qui dat celeriter.

Inopiae parua defunt, auaritiæ omnia.

Instructa inopia est in diuiniis cupiditas.

Inuitat culpam qui peccatum præterit.

Iucundum nihil est nisi quod reficit varietas.

Ingenuitas non recipit contumeliam.

Inritare est calamitatem cum te felicem vocaueris.

Impunè peccis in eum qui peccat ravior.

Ingratus unus miseri omnibus nocet.

In vitia miseri nulla contumelia est.

Ita amicum habeas posse ut fieri huc inimicū scias.

Inuidiam ferre aut fortis, aut felix potest.

In amore semper mendax iracundia est.

Inuidia tacite, sed inimicè irascitur.

Iratum breuiter vites, inimicum diu.

Iniuriarum remedium est obliuio.

Iracundiam qui vincit, hostem superat maximum.

- In malis sperare bene, nisi innocens, nemo solet.*  
*In iudicando criminosa est celeritas.*  
*Inimicum, quamvis humilem, docti est metuere.*  
*In calamitoso risus etiam iniuria est.*  
*Iudex damnatur cum nocens absoluitur.*  
*Ignoscere hominum est ubi pudet cui ignoscitur.*  
*In rebus dubiis plurima est audacia.*  
*Illo nocens se damnat quo peccat die.*  
*Ita crede amico ne sit inimico locus.*  
*Iratus, etiam facinus consilium putat.*  
*Inuidia loquitur id quod obest, non quod subest.*  
*Id agas ne quis tuopse te merito oderit.*  
*Improbè Neptunum accusat, qui iterū naufragium*  
*Intellige ecquæ sint, ut & bene agas, bona. (facit.*  
*Ignoscito sèpe alteri, numquam tibi.*  
*Insanus omnis furere credit cæteros.*

- Loco ignominiae est apud indignum dignitas.*  
*Laus noua nisi oritur, etiam vetus amittitur.*  
*Læso doloris remedium est inimici dolor.*  
*Leuis est fortuna: citò reposcit quod dedit.*  
*Lex uniuersa est quæ iubet nasci & mori.*  
*Lucrum sine damno alterius fieri non potest.*  
*Lasciuia & laus numquam habent concordiam.*  
*Legem nocens veretur, fortunam innocens.*  
*Libido indicium est eius quod leuitas sapit.*  
*Libido cunctos etiam sub vultu domat.*

C.j.

Lingua est maliloquax mentis indicium malæ.  
Luxuriæ desunt multa, auaritiæ omnia.

- Malignos fieri maximè ingrati docent.  
Multis minatur qui facit vni iniuriam.  
Mora omnis odio est: sed facit sapientiam.  
Mala cauſſa est quæ requirit misericordiam.  
Mori est felicis antequam mortem inuoces.  
Miserum est tacere cogi quod cupias loqui.  
Miserrima fortuna est quæ inimico caret.  
Malus est vocandus qui ſua cauſſa est bonus.  
Malus bonum vbi ſe simulat tunc eſt pefſimus.  
Metus cum venit, rarum habet ſomnus locum.  
Mori neceſſe eſt, ſed non quotiens volueris.  
Male geritur quidquid geritur fortunæ fide.  
Mortuo qui mittit munus, nil dat illi, adimit ſibi.  
Minus eſt quam ſeruus dominus qui ſeruos timet.  
Magis heres fidus naſcitur quam ſcribitur.  
Malo conſilio feminæ vincunt viros.  
Mala eſt voluntas ad alienum conſueſcere.  
Magno periculo cuſtodiſtur quod multis placet.  
Mala eſt medicina vbi aliquid naturæ perit.  
Male naturæ nunquam doctore indigent.  
Miferiam nescire propriā, ſine periculo eſt viuere.  
Male viuunt qui ſe ſemper victuros putant.  
Maledictum interpretando facies acrius.  
Male ſecum agit æger, medicum qui heredem facit.

- Minus decipitur cui negatur celeriter.*  
*Mutat se bonitas inritata iniuria.*  
*Mulier quæ sola cogitat, male cogitat.*  
*Malefacere qui vult, nusquam non caussam inuenit.*  
*Maluolus semper sua natura vescitur.*  
*Male imperando summum imperium amittitur.*  
*Mulier quæ nubit multis, multis non placet.*  
*Malum consilium consultori pessimum est.*  
*Mala est voluptas alienis adfuescere.*  
*Magnanimo iniuriæ remedium obliuio est.*  
*Miser dici bonus vir, esse non potest.*  
*Mortem timere crudelius est quam mori.*  
*Malum est consilium quod mutari non potest.*

- Nihil agere semper infeli ci est optimum.*  
*Nil peccent oculi si animus oculis imperet.*  
*Nil proprium ducas quod mutarier potest.*  
*Non citò ruina perit vir qui primam timet.*  
*Nullus tantus quæstus quam quod habes parcere.*  
*Nescias quid optes aut quid fugias : ita ludit dies.*  
*Numquam periculum sine periculo vincitur.*  
*Nulla tam bona est fortuna de qua nil possis queri.*  
*Nusquam melius morimur homines quam ubi libenter viximus.*  
*Negandi caussa auaro numquam deficit.*  
*Negat sibi ipse qui quod difficile est, petit.*  
*Nil eripit fortuna nisi quod & dedit.*

C.ij.

D. L A B. E T P. S Y R I

Nimium altercando veritas amittitur.

Necessitatis est remedium parcitas.

Nulli imponas quod ipse non possis pati.

Nil turpius quam vivere incipiens senex.

Non est bonitas esse meliorem pessimam.

Nullum sine auctoramento est magnum malum.

Numquam satis est quod improbae spei datur.

Non est pusillum si quid maximo est minus.

Nil posse quemquam, hoc mortuum est vivere.

Numquam secura est prava conscientia.

Negata est magnis sceleribus semper fides.

Necesse est multos timeat, quem multi timent.

Perpetuo vincit qui vtitur clementia.

Pars beneficij est, quod petitur si citio neges.

Parere scire par imperio gloria est.

Puras Deus non plenas adspicit manus.

Pupillus est auarus etatis breuis.

Quam saepe veniam qui negauerat, petit!

Quam poenitenda incurrint vivendo diu!

Quod facere turpe est, dicere ne honestum puta.

Quid quisque possit nisi temptato nesciit.

Quod nescias, damnare summa est temeritas.

Respicere nil consuevit iracundia.

Ridiculum est nocentis odio perdere innocentiam.

*Repente diues nemo factus est bonus.  
Res inquieta est in seipsum felicitas.*

*Sæpe dissimulare quam vlcisci satius fuit.  
Semper redundat ipse in auctores timor.  
Secretè amicos admone, lauda palam.  
Spes premij, laboris est solatium.  
Stultum est timere quod vitare non potes.  
Stultum imperare reliquis qui nescit sibi.  
Sæpe oculi & aures vulgi testes sunt mali.  
Suspœcta semper ornamenta ementibus.*

*Tam deest avaro quod habet quæ quod nō habet.  
Timidus vocat se cautum, parcum sordidus.  
Turpis inopia est quæ nascitur de gloria.*

*Veterem ferendo iniuriam inuitas nouam.  
Velox consilium sequitur pœnitentia.  
Vitium fuit nunc mos est adsentatio.*

F I N I S.

C.ijj.

SEN TENTIAE.

De Virtute,  
Lucilij ex Laetantio lib. v i. Instit. cap. v.

*Virtus, Albine, est pretium persoluere verum,  
Quæis inuersamur, quæis viuimus rebus potesse.  
Virtus est homini scire id quod quæque habeat res.  
Virtus scire homini rectū, utile, quid sit honestum:  
Quæ bona, quæ mala item, quid inutile, turpe, inho-  
Virtus quærendæ fine rei scire modūque. (nestum.  
Virtus diuitiis pretium persoluere posse.  
Virtus id dare quod reipsa debetur honori.  
Hoste esse atque inimicū hominū morūque malorū:  
Contra defensorem hominum morūque bonorum.  
Magnificare hos, his bene velle, his viuere amicum.  
Commoda præterea patriæ prima putare,  
Deinde parentum, tertia iam postremaque nostra.*



20

SEPTEM GRÆCIÆ SAPIEN-  
TVM SENTENTIÆ SEPTENIS  
versibus à D. Magno Ausonio  
expressæ.

B I A S P R I E N E V S.

Quænā summa boni? Mēs quæ sibi cōscia recti.  
Pernicies hominis quæ maxima? Solus homo alter.  
Quis diues? Qui nil cupiat. Quis pauper? Avarus.  
Quæ dos matronæ pulcherrima? Vita pudica.  
Quæ casta est? De qua mentirifama veretur.  
Quod prudentis opus? Quum posſit, nolle nocere.  
Quid stulti proprium? Non posſe, & velle nocere.

P I T T A C V S M I T Y L E N A E V S.

Loqui ignorabit qui tacere nesciet.  
Bono probari malo quām multis malis.  
Demens superbis inuidet felicibus.  
Demens dolorem ridet infelicum.  
Pareto legi quisque legem sanxeris.  
Plures amicos resecunda compara.  
Paucos amicos rebus aduersis proba.

C L E O B V L V S L I N D I V S.

Quanto plus liceat tam libeat minus.  
Fortunæ inuidia est inmeritus miser.

SEN TENTIAE.

*Felix criminibus nullus erit diu.*

*Ignoscas aliis multa, nihil tibi.*

*Parcit quisque malis, perdere vult bonos.*

*Maiorum meritis gloria non datur.*

*Turpis saepe datur fama minoribus.*

PERIANDER CORINTHIUS.

*Nunquam discrepat utile à decoro.*

*Plus est sollicitus magis beatus.*

*Mortem optare malum, timere peius.*

*Faxis ut libeat quod est necesse.*

*Multis terribilis timeto multos.*

*Sifortuna iuuat, caueto tolli.*

*Sifortuna tonat, caueto mergi.*

SOLON ATHENIENSIS.

*Dico tum beatam vitam quā peracta fata sint.*

*Par pari iugator coniux: Quicquid inpar, dissidet.*

*Non erunt honores unquam fortuiti muneris.*

*Clam coarguas propinquum quē palam laudaueris.*

*Pulchrius multò parari quam creari nobilem.*

*Certa si decreta sors est, quid cauere proderit?*

*Siue sint incerta cuncta, quid timere conuenit?*

CHILO LACEDAEMONIVS.

*Nolo minor me timeat, despiciatque maior.*

*Viue memor mortis, ut si sis memor & salutis.*

*Tristia cuncta exsuperes aut animo aut amico.  
Tu bene siquid facias, non meminisse fas est.  
Quæ benefacta accipias, perpetuò memento.  
Grata senectus homini quæ parilis iuuentæ.  
Illa iuuenta est grauior quæ similis senectæ.*

## THALES MILESIUS.

*Turpe quid ausurus te sine teste time.  
Vita perit, mortis gloria non moritur.  
Quod facturus eris, dicere sustuleris.  
Crux est si metuas vincere quod nequeas.  
Quum verè obiurgas, sic inimice iuuas.  
Quum falso laudas, tunc & amicè noces.  
Nil nimium satis est. Ne sit & hoc nimium.*



De iisdem septem Sapientibus  
eiusdem Ausonij.

*Chilo cui patria est Lacedæmō, Noscere seipsum.  
Periander, Trepidam moderare Corinthius iram.  
Ex Mitylenæis, Nimium nihil, Pittacus oris.  
Mensuram optimum, ait Cleobulus Lindius, in re.  
Expectare Solon finem docet ortus Athenis.  
Plures esse Bias prauos, quem clara Priene.  
Miletifugisse Thales vadimonia alumnus.*



## SENTENTIAE.

De viro bono D. Ausonij Magni Acroasis.

**V**IR bonus & sapiens, qualem vix repperit vnu  
 Millibus è cunctis hominu, consultus Apollo,  
 Index ipse sui totum se explorat ad vnguem,  
Quid proceres, vanique ferat quid opinio vulgi  
 Securus: mundi instar habens, teres atque rotundus  
 Externæ ne quid labis per lævia sidat.  
Ille, dies quam longus erit sub sidere Cancri,  
Quantum quenoxtropico se porrigit in Capricorno  
 Cogitat, & iusto trutinæ se examine pendit.  
 Ne quid hiet, ne quid protuberet, angulus aquis  
 Partibus ut coeat, nil ut deliret amusis:  
 Sit solidum quodcumque subest, nec inania subtus  
 Indicet admotus digitis pellentibus iectus.  
 Non prius in dulcem declinat lumina somnum  
 Omnia quam longi reputauerit acta diei:  
Quae prætergressus, quid gestu in tempore, quid non,  
 Cur isti facti decus absuit, aut ratio illi?  
Quid mihi præteritum? cur h.ec sententia sedet,  
 Quam melius mutare fuit? miseratus egentem  
 Cur aliquem fracta persensi mente dolorem?  
Quid volui quod nolle bonum foret? utile honesto  
 Cur malus antetuli? num dicto aut denique vultu  
 Perstrictus quisquam? Cur me natura magis quam  
 Disciplina trahit? Sic dicta & facta per omnia

*Ingrediens ortoque à vespere cuncta reuoluens,  
Offensus prauis, dat palmam & præmia rectis.*

## EPICETICA.

**D**E O & naturæ pare.

*De omnibus quoad possis benemerere.*

*Nemini noce.*

*Aliorum in te iniurias tolera tamquam non tuas.*

*Felicitatem in animo sibi bene conscio trāquillōque  
reponendam puta.*

*Quod tibi deest à teipso mutuare.* (stima.)

*Quæ in te tuaque potestate sunt ad te pertinere exi-  
Cetera quæ extra te tuique arbitrij & potestatis  
non sunt ad te nihil addinere puta.*

*Quicquid sine culpa tua acciderit æqui bonique  
consule.*

*Vtere iis rebus quæ ad vitæ necessitatem dantur,  
quasi non vtare: easdemque repetenti Deo, siue  
Fortunæ, vt vulgus loquitur, alacriter restitue.*

*Ne postules ea quæ fiunt, arbitrio tuo fieri: sed ita  
fieri quæque velis, vt fiunt.*

*In diuina rerum administratione vt & æquissima  
& sapientissima, sed & tibi salutari, quamuis  
peracerba plerumque videatur, ultrò & volens  
adquiesce.*

*Pietatem ex utilitate nemetire.*

\*

## Variæ lectiones.

Folio 4. a. vers. 8. negligere. b. ver. 14. illud age quod bonum est.  
5. a. ver. 2. al. culpant.

7. b. ver. 16. *Corporis*. Refertur hic versus Catonis nomine,  
à Vindiciano Comite Archiatrorum in epistola ad Va-  
lentinianum Imp. quæ Marcelli Exmagist. officiorum  
Theodosij libro de medicamentis inserta est, additúr-  
que argutè satis, *Ego autem dico, & perito.*

Ibid. ver. 21. al. suspendere.

9. a. ver. 5. & 6. Veterum librorum constans lectio est.

*Iudicis auxilium sub iniuitate rogato:*

*Ipse etiam leges cupiunt ut iure rogentur.*

Ibid. b. ver. 11. Sic legit Alciatus lib. 4. Par. cap. 13. & explicat.  
veteres libri & excusi habent passim:

*Dilige denarium: sed parce dilige formam,*

*Quam nemo sanctus nec honestus captat habere.*

ver. 16. al. imperium.

10. a. ver. 14. al. *Quid tibi dinitie profunt, si pauper abundas?*

11. a. ver. 1. vet. *Cum fortuna tua rerum tibi displices vni,*  
*Alterius specta cui sis, &c. al cum*

Cæterum in veteribus quibusdam exemplaribus extat  
& liber quintus Catonis nomine, qui de Ebrietate est,  
sequioris planè scriptoris.

Quod ad Sententias attinet quæ in antiquis libris Sene-  
cæ philosopho inscribuntur, non ignoramus quosdam  
esse versus Iambici legibus non satis constantes, quos  
tamen omissoſ noluimus.

12. b. ver. 4. vet. *Aestate cynædum.*

13. b. v. 8. al. *Bona in parête \* & v. II. periclu.* Itēque paulo post.

14. a. ver. 26. al. *Dediscere flere f. est mend.*

b. ver. 17. *quod sis.*

15. a. ver. vlt. al. *fides vt anima.*

b. ver. 6. al. *Feminæ naturam regere despere omnium est.*

ver. 10. al. *quem nemo videt.*

16. b. ver. 5. al. inf. *nescit. q. p. superior. al. horret.*

17. a. ver. 7. *plurimi est al.*

b. ver. 25. *deest in vet. eius.*

18. a. ver. 17. *sic vet. impressi, ruinam.*

21. b. ver. 3. al. *Index.* Cætera sunt ex veteribus libris.